


University of Memphis  
Language Fair 2024  
Latin Translation  
Level II



*This is a paper-and-pencil translation (2 hrs. max.). The use of a Latin-English dictionary is allowed; however, participants must not use any online tool.*

**Androcles et leō**

Ōlim in Circō Maximō sedēbant multī hominēs spectāculum spectantēs<sup>1</sup> in quō gladiātōrēs contrā bēstiās pūgnābant. Gladiātōrēs gladiōs et alia arma habēbant. Tandem omnia animālia occīdērunt et ex harēnā discessērunt. Mox ūnus homō sōlus, quī nūlla arma habuit, harēnam intrāvit. Magnus leō, quī in harēnam ex aliā portā vēnit, ad hominem miserum celeriter accurrit, cum subitō stetit et ad pedēs hominis dēcubuit. Omnēs spectātōrēs inter sē<sup>2</sup> rogābant : “Cūr leō hominem nōn occīdit?”

Homō miser, Androclēs nōmine, in harēnā apud imperātōrem et spectātōrēs fābulam mīram nārrāvit. Multōs annōs servus fuerat<sup>3</sup>. Tandem ex villā dominī crūdēlis fūgit et in antrum vēnit. Dum dormit, magnus leō quoque in antrum vēnit. Leō ad Androclē appropinquāvit et pedem, quī sanguinem fundēbat, mōnstrāvit. Androclēs inter digitōs pedis magnam spīnam vīdit quam extrāxit. Pedem cūrāvit et diū leō cum Androcle in antrō habitāvit.

Post multōs diēs milītēs Rōmānī Androclē cēpērunt et ad dominum crūdēlem trāxērunt, quī eum ad urbem dūxit et in harēnam mīsīt. Milītēs posteā magnum quoque leōnem quī cum Androcle habitāverat<sup>3</sup> cēpērunt et eum dūxērunt ad urbem ubi in harēnam missus est. Sed leō Androclē nōn occīdit quod eum amāvit.

Omnēs spectātōrēs, postquam fābulam mīram audīvērunt, maximē laetī fuērunt et imperātor libertātem et Androclī et leōnī dedit.

Saepe Androclēs, medicus leōnis, cum leōne, hominis amīcō, in viīs ambulāvit, ubi spectātōrēs eōs magnā cum dēlectātiōne spectavērunt.

---

<sup>1</sup> spectantēs = verbal adjective “watching, looking at”

<sup>2</sup> inter sē = “among themselves”; translate “one another”

<sup>3</sup> fuerat, habitāverat = pluperfect “had been,” “had lived”